



The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA MERAUKENSIS * IN TERRITORIIS QUAE VULGO IRIAN OCCIDENTALIS APPELLANTUR

NOVA PROVINCIA ECCLESIASTICA CONDITUR, «MERAUKENSIS» NOMINE. Pro suscepto universae regendae Ecclesiae munere, ad id assidue mentem intendimus Nostram ut ea omnia capiamus consilia, incepta ineamus, quae opportuniore suppeditent latius inter homines Christi legi proferendae subsidia. Censentibus ideo viris qui Sacrae Congregationi de Propaganda Fide sunt propositi, novam posse in Irian, quae dicitur, Occidentali, condi provinciam ecclesiasticam idque ut fieret petentibus laeto animo accedere statuimus, siquidem catholicas res et ibi locorum optima iam incrementa cepisse cognovimus et spes est ut maiora etiam in posterum tempus capiant. Hac scilicet in laeta expectatione sumus sive ob sacrorum Pastorum atque missionarium sedulitatem sive ob crescentem in dies annosque eiusdem ipsius regionis sacerdotum cohortem. Quapropter, sententia hoc super negotio audita venerabilis Fratris Salvatoris Pappalardo, Archiepiscopi titulo Milesiensis et in Indonesia Apostolici Pro-Nuntii, suprema Nostra potestate sequentia decernimus. *Provinciam ecclesiasticam Meraukensem* ita constituimus, ut Sede ipsa Meraukensi, antea vicariatu apostolico, tamquam metropolitana constet, cuius cathedrale templum erit sacra aedes S. Francisco Xaverio sacra; atque Sedibus suffraganeis Sukarnapuraënsi, antea vicariatu apostolico, cuius templum cathedrale erit sacra aedes Christo Regi dicata, atque Manokuariensi, antea praefectura apostolica, cuius templum cathedrale illud erit, quod est S. Augustino dicatum. Novae conditae Ecclesiae, quas diximus, iurisdictioni Sacrae Congregationis de Propaganda Fide obnoxiae esse pergant, de quarum sacris Praesulibus statuimus ut venerabiles Fratres: Hermannus Tillemans, ab Sede titulo Berissena ad metropolitanam Meraukensem transferatur; Rudolphus Iosephus Staverman, ab Ecclesia titulo Mosynopolitana ad cathedralem Sukarnapuraënsis; Petrus Malachias van Diepen, hactenus Praefectus Apostolicus Manokuariensis, fiat Episcopus eiusdem Sedis, post peculiare nempe a Nobis datas Litteras. Ad novas has Ecclesias quod attinet, omnino normae serventur quae iuxta Iuris Canonici praescripta earundem sunt propria. Denique quae praescripsimus ut ad effectum adducantur curet venerabilis Frater Salvator Pappalardo, suetoque more confecta documenta ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide ille mittat, signata sigilloque impressa. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla,

cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur. *Datum Romae, apud S. Petrum, die quintodecimo mensis novembris, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo sexto, Pontificatus Nostri quarto.*

| | |
|---|--|
| <p>IACOBUS A. Card. COPELLO S. R. E. Cancellarius</p> | <p>GREGORIUS Card. AGAGIANIAN S. Congr. de Prop. Fide Praefectus</p> |
|---|--|

Franciscus Tinello

Apostolicam Cancellariam Regens Ioannes Calleri, *Protonot. Apost.*

Eugenius Sevi, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LIX (1967), n. 7, pp. 483-484 © Copyright 1966 - Libreria Editrice Vaticana